

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

*Disquisitio Octava*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani  
Rectore


*Respondente*

MATTHIA MICHAELE MÜLBECCIO

Hilpershusa Franco

*Dominicâ post Circumcisionem*  
*Domini.*

*A. O. R. cl. 1734.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*  
*schlegely.*

DIVINARUM  
EVANGELICARUM

Disquisitiones

PRAESIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

Respondens

MATTHIA MICHAELI MILLERICO

Philosophiae

Dominiceque (Theologiae)

Dominice

M. O. R. C. S. M.

1717

IN S. S. SAXONIA

Regio Electorali Melchioris Oel-

schlegelii



ANALYSIS  
**EVANGELII**  
 DE BAPTISMO CHRISTI,

*Luc. 2. v. 21.*

*Jo. 3. v. 3.*

*Exordium.*



Quod habetur Josuæ 3, 8.  
 & sequētib9: Arca fœderis à sa-  
 cerdotibus portabatur in Iorda-  
 nis aquas, quarum pars superior  
 stetit, pars inferior defluxit in iudicium cer-  
 tissimæ hostium omnium expulsionis, & vivi  
 Dei manifestationis Illud ipsum adimpletur  
 mysticè in vera arca fœderis Christo, qui ob au-  
 rum, quo denotatur divina natura, ob quatuor  
 annulos, qui quatuor Evangelistas denotant, ob  
 vestes deauratas, quæ Verbum & Sacramenta  
 sunt, ei comparatur; & ut arca portata est à sa-  
 cerdotibus Sic similiter ferè Christus à Secerdo-

de Iohanne, & ut aquarū pars superior legem significat, ita inferior pars peccatum, quod defluxit ab eis, qui baptisatum Christum induerunt; & uti fuit inibi indicium hostium expulsionis & vivi Dei manifestationis, ita vel maxime Deus manifestatus in Christi Baptismate, uti uberius docetur in Evāgelica pericope.

Quae quidem hic Hallis, hac ipsa Dominica proponitur, ex peculiari constitutione Ecclesiastica, quum alias secundum Historiam ordinem in vita Christi rectius tractetur, quemadmodum alibi locorum ferè ubique, de fuga Christi in Aegyptum; Sed ne praevaricemur consuetudini praesentis loci, & ne ad versemur ordini, utrumq; proponemus, & primum quidem de Christi Baptismate.

### THESIS I.

**U**bi partim habetur antecedens, quod continet tum circumstantiam, & Christi ad Johannem accessus causam, estq; sui Baptisatio, v. 13. In quo est partim circumstantia, summam tum temporis: Tunc, nempe ubi communis erat apud populum Iudaicum sententia Iohannem esse Messiam Luc. 3. 15. cumque negasset & refutasset eandem, populus ac institisset, ut illum ostenderet, subiecit Iohannes, fore, ut in Baptismo Israeli manifestaretur,

staretur, uti habetur Ioh. 1, 32. Ideoq; apud omnes expectatio concitata ur sit, ut apud Iordanem, donec fieret illa manifestatio, manerent. Tunc ergo animis populi ita in expectationem erectis factum est. Non enim cogitandum ea, quæ in hac historia describuntur ex improvise hominibus ante non præmonitis accidisse, vel remotis testibus inter Iohannem & Christum acta esse. Lucas autem addit id factum esse anno ætatis Christi secundum assumptam carnem trigesimo: in qua alias ætate Levitici generis Sacerdotes ad publica ministeria admittentur: ut ita discamus etiam hac in parte Christum se probasse ut verum Sacerdotem.

2. Et res ipsa, quoad formam: accessit Iesus, nempe, cum baptisaretur per Iohannem omnis populus Luc. 3, 12. qui ipsum accessit, atq; ita viam Messie jam adventanti preparavit ut baptismo suo ipsum manifestaret Israël Ioh. 1, 31.

3. Sigillatim proponitur tum locus à quo, à Galilæa. Id quod factum est, ne Pharisei calumniarentur, rem istam ex composito ita gestam fuisse, uterq; in diversis locis educatus fuit usq; ad annum tricesimum, adeo ut Iohannes dicat, non noveram ipsum Ioh. 1, 32. Cumq; Iohannes ministerium suum in regione circa Ior-

danem, quæ Petrea vocatur, baptisando, & prædicando pœnitentiam inchoaret, Christus seipſe non adiunxit, sed mansit in Galilea, in qua alias libenter versari solitus: in qua etiam post resurrectionem suis Apostolis apparere voluit, ut doceret, cum Galilea transmirationem significet, tum nos visuros Christum si modo à vici ad virtutis celsitudinem transmigramus, uti habet Beda in 28. cap. Matth. & Gregorius Homilia 21. in Evang. Et Iohannes quidem scivit & publicè predicavit Messiam natum esse & venisse in mundum, sed nondum esse manifestatum & de facie novit. Addit verò Marcus venisse ipsum à Nazareth, ut testetur usq; dum sub obœdientia Mariae & Iosephi privatam & ignobilem, uti dicitur, vitam tanquam faber Nazarethanus duxisse secundum illud Luc. 2, 51.

4. Ad quem: ad Iordanem. Id est ad illum locum, ubi manifestandus secundum prædictum Ioh. 1, 31. & ubi Iohannes publicè turbas baptisabat: qui fluvius alias celebratissimus, propter lepræ Nabemanis purgationem, 2. Reg. 5, 2. propter terræ judaicæ ab infidelibus distinctionem, propter Elie & Elisai miraculosam fluvii divisionem, 2. Reg. 2, 8. Propter  
tran-



transitionem & ferrinationem, 2. Reg. 6, significatq; fluvium iudicii: ut discamus iudicium accedere, si velimus in Christianismo rectè procedere. Et quamvis Scholastica historia dicat tertio lapide distare à Iericho locum, tamè presumitur in loco Iordanis Christum baptisatum esse, ubi Iohannes solito more baptisavit: Idq; factum est in Bethabara, Ioh. 1, 28. qui nomen habebat à traducto populo Israël in terram promissionis. Atq; ita figura Iosue in Iesu impleta, quod ipsum cælum aperit, & in novam patriam nos deducit, Hebr. 10. 20. Et quemadmodum stetit arca fœderis in Iordane Ios. 3, 17. ita etiam Christus.

5. Terminus quoad personam ad Iohannem, Hic enim erat qui preparare viã debebat Domino, & erat qui eundem etiam monstrare poterat: ut discamus eos esse ad eundem ad quorum officium pertinet complere nostrum desiderium. Et inde Iohannes maior est Propheta, ut qui & digitis ipsum monstravit, & etiam Messiam baptisavit. Non verò solus fuit Iohannes, sed multi, uti tactum, alii spectatores & testes fuerunt unde etiam vocatur manifestatio coram Israël, Ioh. 1, 31. Matrem verò eius consciam fuisse, si non spectatricem, exinde

colligitur, quia in nuptiis Cana Galilea mandat ministris ut pareant & faciant imperata. 6. Et quoad finalem causam, ut baptifaretur ab ipso. Ita enim predictum erat Iohanni, venturum propterea ad Iordanem: & propterea recte Ioh. 1, 31. dixit Iohannes se de facie tanquam ex familiari consuetudine ipsum antea non novisse, licet in utero ad vocem salutantis Maria saltarit ipsumque, predicarit uti Chrysostomus explicat.

7. Tum ipsam formam seu communicationem de Baptismo, ubi iterum Iohannis denegatio, v. 14. In quo in genere ab effectu recusatio: & Iohannes prohibebat illum. Idque factum est vel verbis, vel facto & quasi injecta manu. Cum enim ex interiori spiritus revelatione agnosceret, Iesum qui ex Galilea veniebat, esse Messiam, noluit admittere eum, ad illum baptismum, qui erat poenitentiae in remissionem peccatorum, dum personam Christi opponit, quippe qui erat sine peccato, ut qui peccata mundi tollere debebat, qui ipse baptifabat Spiritu sancto, & in cuius fidem reliqui baptifabantur ad remissionem peccatorum.

8. Et in specie, ratione desumpta à necessario, mihi opus ut abs te baptizer scilicet Spiritu.

ritu.

ritu. Agnoscit igitur se non esse perfectum, quia indigentiam habet, & fatetur se non posse in gratia perseverare & salutem acceptam & reliqua beneficia sustinere, nisi Christus spiritu suo ipsum baptiset; Et nisi spiritu renovationis donaretur ab ipso, ut connotetur etiam sanctissimos debere in negotio salutis in totum omne ascribere Christo.

9. Et ab absurdo, & tu venis ad me, *ut* qui sanctus, & cuius non dignus corrigias calceamentorum solvere, qua pia contentio Iohannis recusantis & Christi rogantis bene notanda, ut ostendatur Iohannis insignis humilitas, & Christi dignitas.

10. Et Christi declaratio v. 15. In quo summam notanda persona & causa efficiens: Respondens Iesus, Non quidem negando quod non sit dignior aut sanctus, sed consequentiam nullam esse demonstrando, *ut* ita doceatur Christum ubiq; adhibuisse accuratissimam, ut qui λόγος & ipse, Logicam; nec unquam, quamvis distulerit interdum responsionem, adhibuisse nullam: ut discamus adversariis & aliis esse respondendum solide.

11. Et materialis seu objectum dixisse ad illum

illum nempe Iohannem, directò ergo respon-  
det, & ei, cum quò ipsi negotium, rationem red-  
dit, ne tergiversetur in negotiis nostri officii &  
salutis rationem reddere.

12. Et Res ipsa, omitte nunc, seu permittit,  
quia nunc est status exinanitionis. Quasi dice-  
ret versor in æconomia redemptionis & man-  
datum patris perficio. Respondet ergo ad conse-  
quentiam, cum alius sit status dispensationis  
ministerium, alius status dignitatis & persona; i-  
deoque nunc addit.

13. Sigillatim ubi Christi ratio à decen-  
tibus enim decet nos, provocat ad officium suum  
qui enim alios docere vult, illum oportet ut ipse  
quoque prius faciat. Loquitur autem partim  
de utroque, quia Iohannes debebat monstrare  
& baptizare, Christus vero baptizari, & opus  
redemptionis consummare, uterque per obedi-  
entiam, Christus solus per efficaciam cum solus tor-  
cular calcaverit Esaiæ 63, 3. Sed ratione distri-  
butionis & explicationis non excludit Iohan-  
nem, cum ministri sint οὐρεργοι 1. Corinth. 3, 9.  
cum etiam salvos faciant auditores, tantum ta-  
men οργαυικῶς 1. Tim, 4, 16. ut observemus  
Deo placuisse ordinariè per ministerium sal-  
vare homines.

Et 14.

14. Et ab officio convenienti: ut compleamus omnem iustitiam. Fuit enim officium Christi mediatoris, omnia illa, quae ad consequendam iustitiam, qua coram Deo iustificamur, pertinent implere. Unde nobis facta est iustitia Jerem. 23, 61. & 1. Corinth. 24. Factus autem quando victima pro nobis factus Rom. 8, 4. At omnis iustitia implenda. Ad iustitiam verò illius quoque pertinebat ministerium reconciliationis, uti Paulus vocat 2. Corinth. 5, 19. ordinare. Non itaque baptizare voluit propter illam causam, quae in reliquis usum Baptismi necessarium reddit, sed ut sanctificaret illum, sicut ut Chrysostomus loquitur baptisari conatus est, qui peccata solus non fecerat, sed ut aquas Baptismi solus sanctificaret, ad diluenda peccata, nunquam enim aqua purgare peccata potuissent nisi tactu corporis Christi sanctificata fuissent.

15. Et Iohannis approbatio: tunc committit illum. Iohannes igitur audita illa Christi responsione destitit à sua prohibitione, & admittit ipsum. Id quod non sine singulari Spiritus agnitione ipsam fecisse merito colligitur; quia ex divino responso Joh. 1, 23, sciebat futuram in hoc baptismo illustrem revelationem Sacrosanctae Trinitatis, quae secuta est, ut discamus rationibus cedere.

16. Consequens est cum miraculosa manifestatio v. 16. In quo præmittitur respectu Christi: Baptisatus statim ascendens ex aqua. Ergo à Johanne, ut Marcus cap. 1, 9. habet, est baptisatus in Iordane. Ergo uterq; in ipsam aquam antea descenderunt, sicut de Philippo & Eunucho scribitur Act. 8, 38. Descendendum autem erat prius antequam ascenderent, & effusa super illum aqua secundum Ezechielem c. 36, 25, ut discamus prius humiliari, si velimus exaltari. Ascendit autem statim, cum enim alias Johannes sine dubio inter baptisandum mul- tum; apud alios de pœnitentia, de fide, de remissione peccatorum, priusquam ex aqua ascenderent ut fructus dignos pœnitentia facerent. Matth. 3 8. differuerit, hic in Christo non fecit, quia alia causa Baptismi erat. Statim ascenderunt, ut potius referendum sit ad ascensum illud statim, quam ad cœli miraculum secundum quosdam, quamvis non longo intervallo hoc etiam sit factum. Lucas solus annotavit Christum orasse, ut indicaret qua devotione mentis Sacramentum hoc susceperit, ut spectatorum oculos & aures in se converteret, utq; certum foret, quem vox paterna designaret.

17. Respectu cœli: & ecce aperti sunt illi  
cœli

cœli: nempe qui super ipsum in ripa Iordanis  
 orantem fuerunt. unde dicit, aperti sunt illi au-  
 rō, quo certo colligeretur cuius gratia aperirē-  
 tur, & cuius gratia reliqua sint dicta. Modum  
 apertionis Marc9 describit, nempe  $\chi\iota\zeta\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\gamma\varsigma$   
 visos esse, ut nō tantū fuerit chasma in aere, &  
 $\Phi\alpha\iota\nu\omicron\mu\epsilon\nu\omicron$ , dicitur enim in Scriptura propriē  
 quid  $\chi\iota\zeta\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\gamma\varsigma$  uti legitur de veste scissa Matt.  
 7, 51. de utribus ruptis Luc. 5, 36. Siquidem  
 non fuit ludificatio oculorum, sed extraordi-  
 narium & vere divinum miraculum adhibi-  
 tum ad rerum promissarum confirmationem,  
 quia & visio columba non fuit imaginaria, sed  
 corporalis, sicut Lucas loquitur & auditio  
 vocis paterna fuit sensibilis. Simpliciter igitur  
 intelligendum illam partem fuisse apertam ut  
 ostenderet per Sacramentorum ministerium  
 esse reseratas, & Christum suo officio, qua in  
 cœlis & terra sunt, copulasse Eph. 1, 10.

18. Et exponitur modus, & vidit spiri-  
 tum Dei descendentem tanquam colum-  
 bam. Nempe Iohannes, quia predictum erat  
 ipsi fore, ut ita confirmaretur. Quia ergo de-  
 scendit Spiritus S. ideoq; cœlum apertum fuit  
 ut sciret esse Spiritum S. Revera autem, quod  
 Tertullianus loquitur, tam vera erat colum-  
 ba quàm verus erat Spiritus. Quod & Aug.  
 cap.

cap. 21. in libello de Agone Christiano asse-  
 verat. Neq̄, enim semper cōseī similitudinem  
 tantum rei, sed potius modum descendendi,  
 quā rem ipsam hoc loco, denotat. Voluit ve-  
 ro sub specie columba descendere ut ostenderet  
 quale sit ministerium Christi, & quos effectus  
 in Ecclesia producat ex Matth. 10. 13. Quo &  
 columbam Noachi notaret secundum Chry-  
 sostomum: ut discamus simplicitatem colum-  
 barum imitari, si velimus Spiritum sanctum  
 emulari.

19. Et locum: & venientem super ipsum.  
 Non enim protinus evanuit, sed insedit Christo,  
 donec vox patris audiretur: ut certum quem  
 denotaret, quemadmodum etiam super Apo-  
 stolos universos visus fuit cœn flamma in di-  
 spertitis linguis, Act. 2. 3.

20. Tum Dei acclamatio, v. 17. in  
 quo circumstantia; Et ecce vox de cœlis  
 dicens: Neq̄, enim fuit tenuis aliquis sonus  
 cū turba audiens diceret, tonitru factum esse,  
 sicut Iohan: 12, 29. Vox verò Patris fuit, uti  
 ex sequentibus colligitur. Et inde est illa ad-  
 miranda & tremenda Deo Páveia, cuius si-  
 milis non extat.



21. Et forma à relatione: Hic est Filius meus, *Qua verba ex Psal. 2. 7. desumpta ostendunt esse ab eterno: uti describitur etiam Ps. 110. 7. & Ebr. 1. v. 5. Unde & Baptista ipse fateretur se ex hac voce Patris didicisse Ioh 1, 14. quod sit filius Dei.*

22. Et qualitate, tum quod sit dilectus, ut eum à filiis adoptionis distingueret, & sumpta videtur ex Gen. 22, 3, ubi septuaginta interpretes unicum Isaacum vocant ἀγαπητόν, quem Salomon in Cantico suo Iedijah, hoc est dilectum Domini appellat, Id quod Paulus Ebr. cap. 1, 6. ad Christum applicat.

23. Tum, in quo mihi beneplacitum est; *Qua verba desumpta ex Es. 42. 1. estq; constructio transitiva, in ipsum nempe Christum, dum propter ipsum est animo placato & benevolo erga alios, uti Paulus explicat Colos. 1, 19. Antea enim poenituerat Deū fecisse hominem Gen. 6. v. 6. modo placatus. Atq; ita, quod Epiphanius loquitur, tota Trinitas manifestatur. unde, inquit, si non credis in divina Essentia, qua unica & simplex est, esse tres distinctas personas, comitare Iohannem ad Iordanem & videbis Filium in assumpta carne, Spiritus vero peculiari specie super Christum manens apparet, tunc Pater sonat vocē ex aperto cælo.*

Ita

Ata ergo fides simplicissimè concipere poterit  
agnitionem Trinitatis, si in invocatione ad pa-  
tesfactionem cogitationes refert, que non tan-  
tum discrimen personarum proponit, sed unà  
officia manifestat. Pater enim Filium dilectum  
in hunc mundum misit, & in Filio placatus  
mundo: Filius carnem assumpsit, ut justitiam  
impleat omnem, Spiritus sanctus descendit ad  
ministerium.

---

NOTÆ.

I.

**J**esus venit ad Johannem) Conside-  
ra Christum nunquam se ostentasse in  
actionibus suis, sed voluit more aliorum  
baptisari à Johanne; ut discas in omnibus  
licitis te aliis accommodare.

II.

**D**ecet nos implere omnem justiti-  
am.) Considera Christum se vocare  
complementum justitiæ, dum sese submit-  
tit, ut discas prestare officium tuum.

III.

**A**pertum est coelum) Considera pro-  
pter officium Christi, dum orat, ruptum  
coelum;

*cælum; ut discas, si vis idem apertum, aq̄  
orare.*

---


### CASUS CONSCIENTIÆ.

Ubi sit baptifandum.?

**C**hristus hic in Jordane, Philippus Eu-  
nuchum in via, Act 8, 38. versus Sa-  
mariam. At quod non mutatur conces-  
sum videtur l. sancinus 27. C. de testam.  
l. præcip. 32. in f. C. de Appol. At non-  
dum tunc temporis locus certus electus; in-  
terim Johannes non alibi, nisi in Jordane  
propter causas in superioribus allegatas.  
Modo verò in Ecclesia seu templis, ubi ba-  
ptisteria c. quidem 18. q. 2. quia consue-  
tudo inveterata observanda pro lege l.  
32. ff. d. LL. & quia locus observandus;  
nisi adsit casus necessitatis: tum enim ubi  
nomen Domini invocatur, Deus honora-  
tur Joh. 4, 21. Hoc præterea notandum, a-  
dultos non posse baptifari, nisi sint idonei  
secundum l. ut gradati ff. de munerib.  
nam dormientes & amentes non possunt  
non

non possunt e. maiores s. sed adhuc de  
 baptismo. Neq̄ baptisati semel sunt rebap-  
 ptisandi, c. ~~in~~ <sup>de</sup> de baptismo & toto tit.  
 C. Ne sanctum baptisma iteretur:  
 quamvis Christus & circumcisus & bap-  
 tatus, illam enim sustulit, hoc in iuravit. Alii  
 quidem incestam non purificant, ut sint  
 ultimo supplicio afficiendi l. 2. C. d. t. ut qui  
 piaculare crimen committunt. Ad-  
 datur Tholes lib. 2. synt. c.

4 n. 15.



ANALYSIS



ANALYSIS  
 EVANGELII  
 DE FUGA CHRISTI,

<sup>2</sup>  
 Matth. a v. 13. usq. ad 15.

*Exordium.*



*Christi vero exilium, quod pertinet ad vitam Christi continuam seriem prout in Ecclesiis docetur, describitur Matth. a v. 13. usq. ad 15. Unde ita exordimur.*

*Habet Psaltes: Multum afflixerunt me Ps 129. a iuventute mea, dicat Israel, multum afflixerunt me a iuventute mea, sed non prevaluerunt mihi. Status Ecclesiae ostenditur miserabilis dum multum ab hostibus pressa probatur, & perfectus quasi eius status denotatur per emphaticam anaphoran, sed unâ declaratur auxilium praesentissimum, dum non pra-*

K

va-

valuerunt. Idem habetur, & exemplo quasi docetur in Christi fuga, qua in aliis Christianis conventibus hoc ipso die proponitur.

### THESIS. I.

**H**abetur autē summam Angeli, quid faciendum sit, annunciatio v. 3. in quo patitur eventus, quoad circumstantiā temporis: regressus ipse nempe Magis. Id quod factum post expletum Mariæ puerperium. Quo die verò aut quo precise tempore, non additur, sed colligitur tamen purificationis historiam precesse: an autem post Nativitatem quadraginta duorum dierum ut Aluensis, alias Alfonso Tostatus, an post biennium, ut Epiphanius & cum eo Piscator, non constat; & an ex Bethlehem, ut habet Hunnius & Epiphanius, an ex Nazareth, uti Theophylactus, perspicue non asseritur. Interim tamen factum fuisse regressus Magis ostenditur. Cum autem sit circumstantia, nemo propterea turbetur.

2. Quoad causam, tum impulsivam, que continet modum per somnium: & est Angeli Domini admonitio. Hoc enim est Angeli officium, ut vel vox Angeli hoc denotat notante Beda super cap. Ebr. Hom. 6. Domini autem dicitur, quia a Do-  
mi-

imino missus exinde colligitur. Qualis verò fuerit, facile praesumitur, quod ille ipse, qui ad Mariam destinatus fuerat, Gabriel scilicet annūciare venit, quia cum Zacharia in templo locutus est, uti habet Orig. Hom. 3. ille namque incarnationis Sacramentum commendatum sibi habebat: ut ostenderetur Deū esse de salute nostra sollicitum. Potissimum verò angelos adhibet in cura infantium, uti patet ex Mosis historia Exod. 2. 3. ex Hagaris Gen. 21. 16. unde Pedagogi liberorum dicuntur secundum Bernhardum serm. 12. in Psalmum Qui habitat: siquidem unicuique angelus est additus, & interdum plures ut 2 Reg. 6. 19 Luc. 16. 22 Per somnium autem ipsum admonitum esse additū. ut ostendatur Deum variis modis promississe suam revelationem, nempe de facie ad faciem, per angelos per prophetas, per visiones. Hic per angelos ut ostenderet angelos contrectabilia corpora non habere, quemadmodum Augustinus in Enchiridionio ad Laurentium loquitur; nec omnia somnia vana esse uti & Abimelechi Gen. 20. 3. Iosephi Gen. 37. 6. Pharaonis Gen. 41. 2. Nebucadnezaris Dan: 4. 8. manifestant. Probè tamen illa secundum scripturam revelatam sunt examinanda.

3. Et materiam sive objectum. Iosepho,

K 2

ut

us qui Maria sponsus, Christi tutor Luc. 3, 23.  
 Et infantia Christi rector, de rebus necessariis  
 ordinarius prospector. Vnde inquit Theo-  
 phylactus in Matth. vidisti quam ob causam  
 permiserit Deus desponsari virginem? hic ap-  
 paret quod Deus permiserit ut vigilantem cu-  
 ram Joseph eius gereret.

4. Partim modus, qui continet formam,  
 Et quidem in genere: ait illi, surge. cum enim  
 dormiret, utiq<sup>3</sup> surgendum fuit. Neq<sup>3</sup> cubatio  
 conceditur, ubi periculum timetur. Vnde Et  
 colligitur factum fuisse Hierosolymis nocte  
 purificationem sequente cum subito hoc ipsum,  
 erat expediendum.

5. Et accipe, propterea enim ipsi surgen-  
 dum erat, cum infans ipse abire non posset,  
 iubetur pater nutritius hanc curam susci-  
 pere: non vero mater quia alias foemina ad pe-  
 regrinandum sunt imparata Et inepta.

6. In Specie est declaratio ab objecto  
 respectu rei, Puerum: per quem intelligit  
 Synechdochicè Iesum, quia puer nobis natus  
 Es. 9, 6. Puerum vero vocat per quem Reges  
 regnant Et potentes scribunt iustitiam, per quem  
 sapientes magnificantur Et Principes possident  
 terram, uti habet Orig. hom. 3. In divers.  
 Non autem iubet assumere suppellectilem,  
 sed



sed puerum: quod quater in hoc cap. repetitur,  
 ut ostendat in eo praestantissimum esse the-  
 saurum. Non addit autem puerum tuum, quia  
 Pater erat putativus, saltem curā non naturā,  
 & Matrem eius non vocat uxorem, quia tan-  
 tum erat desponsata. Luc. 2, 5. Matrem, non  
 uxorem eius ultro vocat, inquit Theophyl. in  
 Matth. & Chrysostr. hom. 8. ante quidem  
 generationem uxorem appellat Matth. 1, 20.  
 post generationem matrem dicit pueri, propter-  
 ea ut occultaret Diabolo, addit idem Orige-  
 nes. Perfecto autem sacramento atq; generato  
 unigenito ex ipsa virgine, post laudem Angelo-  
 rum atq; Pastorum, post adorationem Mago-  
 rum, post circumcisionem factam secundum  
 legem, iam non erat necesse ut uxorem diceret:  
 sed mater huius qui natus pueri vocatur. Mat-  
 thei vero 1, 20. iubebatur assumere uxorem  
 suam, quia ibi admonebatur officii sui marita-  
 lis, quod eam non deserere deberet, cui fidem  
 conjugii dederat, hic vero ordo invertitur &  
 contra hunc ordinem, secundum quem alias u-  
 xores proponuntur liberis Gen. 30, 26. de Iaco-  
 bo & Exod. 24. de Mose, quia non propter  
 matrem puer natus est inquit Chrysostr.  
 hom. 2. Operis imperfecti sed propter puerū  
 mater preparata est: puer dignior matre & su-

perior. Maria verò mater verè erat ut quæ illam verè conceperat Luc. 1, 31. & pepererat Luc. 2, 7.

7. Respectu termini, quoad locum: & fuge in Ægyptum. Hoc enim fuit quare surgere deberet. Res tamè mira, eum fugere à cuius conspectu fugit terra Apoc. 20, 11. à cuius increpatione fugiunt aquæ Psalm. 101, 7. & quidem persequente homine Deus fugit, se viente terra cœlam trepidat, & volitante pulvere pavore turbantur Angeli, & Pavor Patris Filio monstratur habet Chrysologus serm. 150. Reverentius diceret inquit idem: Vade in Ægyptum, ut esset profectio non fuga, voluntas non necessitas, iudicium si non humanum, saltem non divinum: at nunc mandatur fuga, mandatur per angelum, ut videatur cœlam antea timore tremuisse quam terra, sed quod fugit bellicosus habet idè loco allegato, artis est non timoris. Deus certè quãdo hominè fugit, sacramenti est nō pavoris, potens quando se subducit infirmo, insequetem non pavet, sed foris producit: vult nemo in aperto vincere qui publicam cupit ex hoste referre victoriam; occultum non paritur inire conflictum, qui mandare suum seculis vult triumphum, secreta victoria, virtusq; latens, exemplum posteris non relinquunt.

8. Hinc

8. Hinc est quod Christus fugit ut cedat tempori, non Herodi: neq<sup>3</sup> enim mortem fugit qui venerat de hoste reportare victoriam; neq<sup>3</sup> humanas insidias expauescit, qui totas venerat diabolicas aperire versutias, neq<sup>3</sup> tunc timuit quando Infans, & secundum hominem timere nescivit, & secundum Deum non potuit timere. Christus sane si maectatus in illo grege lactentium fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas, non virtus fuerat, sed infirmitas, necessitas fuerat, no<sup>n</sup> potestas, & innocentia fuisset premium, maiestatis gloria non fuisset, habet idem Chrysologus. Chrysost. Hom. 10. in Festum innocentium addit: Christum non nisi maturo tempore pati oportere, ut qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfectum repararet, in vitam & qualem terris dederat talem redderet caelo. Quin si in manus incidisset Herodis, & non fuisset occisus, opinatus fuisset, inquit Theophyl. in Matth. incarnatum eum apparenter.

9. Deniq<sup>3</sup> fugam eius non de periculi metu, sed de Prophetia venisse mysterio Evangelista asserit, habet idem Chrysologus in extremo sermonis citati. Exemplum datur fidelibus ne dubitent rabiem, ubi opportunum fuerit, declinare fugiendo, cum hoc Deum & Dominum suum

suum fecisse meminerint, habet Beda super  
 hoc Evangelium. & Augustinus Sermone 21,  
 de tempore reliquit exemplum ut fugien-  
 te Domino fugere indignum non putet servus.  
 Martyr comprehensus, habet Chrysologus,  
 debet constanter pati, non comprehensus debet  
 fugere persequentem ut & persecutori relin-  
 quat tempus resipiscendi, & sibi tempus non  
 auferat supplicandi. Matth. 10, 23. Si vos per-  
 secuti fuerint in una civitate fugite in aliam.  
 Persecutorem enim, qui provocat, facit; corri-  
 git qui declinat. Fugere ergo debemus,  
 provocare non debemus si salvari per-  
 secutores nostros volumus, pro quibus  
 mandatum est Matth. 5, 44. nos orare. Ita  
 Christus fugit nobis, non sibi: fugit ut futuris  
 virtutibus & perfidis materiam tolleret excu-  
 sandi & credituris fidei fiduciam largiretur,  
 quia in persecutione melius est fugere quam ne-  
 gare. Faciam ergo habet August. Epist. 186. ad  
 Honor. in persecutione servi Christi quod pre-  
 cipit in hac re Dominus.

10. Ita ergo fuga licita est si persecutio non  
 sit publica, quia alias mercenarius fugit Job. 10.  
 sed si sit privata ex Matth. 10, 23. ita Moses  
 Exod. 2, Elias 1. Reg. 17. Abiaram 1. Sam.  
 16. Paulus Act. 9, 30. Petri Act. 12, 17. 2. Sic

in peste si officii ratio non impediatur, proximi si salus non prohibeat, alias non fugiendum ex Dan. 10, 21. cum nemo posset effugere manum Dei Psalm. 129, 8. Prov. 10, 24. 3. in fame utidem, fugere posse docent exempla Abrahami Gen. 12. Isaaci Gen. 26. Iacobi Gen. 41. 1. denique in bello cum circumveniendus hostis Jos. 8, 6. vel quando universalis strages metuenda, Iudic. 20, 47. 1. Sam. 4, 10.

11. In Aegyptum autem iubetur fugere, quia ad fugam commoda erat. quippe 1. non subiecta ditioni Herodis 2. quia vicina erat iudaea ut facilius illuc transire potuerit: quia 3. implenda prophetia Osee. 11, 1. 4. ut se verum Messiam profiteretur. qui populum ex Aegypto seculari & manu Pharaonis infernalis liberatum in caelestem terram educere vellet, 5. ut populus, qui antea fuerat persecutor unigeniti iam iustus fieret, 6. ut se in sua venisse, suos autem illum non recepisse Iob, 1, 10. innueret 7. ut fidem Iudeorum per fidem gentium castigaret: nam Dominum, quem Iudaea fugaverat Aegyptus obsequenter accepit; ut 8. Ecclesiam Synagoga, iudaeis gentes anteponendas fide panderet per figuram secundum Chrysologum Serm. 151. Et denique 9. fugit in Aegyptum, ut & illam sanctificaret. Duæ enim sunt regiones

omnis nequitia, habet Theophylactus in Matth. Babylon videlicet & Ægyptus: Babylonem per Magos suscepit adorantem, Ægyptum autē per suam presentiam sanctificavit.

12. Quoad tempus: & esto illic usque dum dixerō tibi. Quamdiu quidem non exprimitur interim quodammodo colligitur, dum defuncto Herodo scil. Ascalonita infanticida illo, cumq; anno Herodis tricesimo natus & ille regnaverit annos 34. mansisse in Ægypto ad annum usq; quartum: eodem enim anno angelus visus in Ægypto Iosepho apparuit, & exinde illum cum puero & matre in terram Israel revocavit. Ita qui summa regit, etiam extrema non deserit habet Gregor. lib. 26. c. 12. Expolit. moral. quia addit Cassiodorus lib. 12. Epistola 25. nihil sine causa geritur, sed quicquid venire videmus ad terminum divinum constat esse consilium.

13. Ratio desumpta ab adjuncto studio Herodis: futurum enim est ut Herodes querat puerum. Id quod ostendit subsequens infanticidium v. 16. 17. & 18. Herodes Ascalonita intelligitur, quia tres fuerunt secundum versum:

Ascalonita necat pueros, Antipa Johannem;  
Jacobum Agrippas claudens in carcere Pe-  
trum.

Occa-

Occasio itaq<sup>3</sup> fuga hac fuit: noverat Herodes contumaciam iudeorum, ad res novas esse proclives; noverat magnificas de Messia jaclationes, noverat dixisse Phariseos, Deo decretum esse ut regnum ab Herode auferatur, uti refert Joseph<sup>9</sup> l. 3. c. 17. Ideoq<sup>3</sup> inquit puerum, quia Diabolus semper petit rei caput. Quo ita Christi regnum in prima statim herba supprimeret, dicitur ipsum quarere, sed non invenire ut frustraneum Herodis conatum ostendat. Utq<sup>2</sup> illam perdat, hostili namq<sup>3</sup> animo cupit excidium puero meditari ab ea die, qua primum ex Magis de stella audiverat, & locum Michæ e Scribis cognoverat. Ita semper pius sunt metuenda insidie ubicunq<sup>3</sup> fuerint, quodcunque etiam fecerint.

14. Sigillatim est ab effectu, tum Iosephi obsecundatio, v. 14. in quo facti materia in genere, Ioseph excitat<sup>9</sup> accepit pueru. Ita post Dei mandatum recte sequitur obsequium. Id quod omnino laudandum. Non enim attendit infantuli teneritatem, non matris imbecillitatem, non itineris longinquitatem, sed pareret, quia ver<sup>9</sup> obediens est, inquit Bernhardus in Epistola ad Abbat de monte: non meditat<sup>ur</sup> quale sit quod praeipitur, sed sufficit ei, quia praeipitur. Et ita obediendum est Deo. i. uni-  
ver-

versaliter in omnib9, nulla re excepta, quia va-  
 luntas eius omnis rectitudinis norma. 2. Li-  
 benter, ut nostram voluntatem Dei voluntati  
 conformemus. 3. Simpliciter quia nescit in-  
 dicare, inquit Gregorius lib. 2. in 1. Reg. c. 3.  
 quisquis perfecte nō didicerit obedire. 4. Hila-  
 riter, non ex tristitia, quis enim locus obedi-  
 entie, ubi tristitia & aegritudo. Ostendūt plerumq;  
 signa exteriora voluntatem animi, & difficile  
 est ut vultum non mutant, qui mutant volun-  
 tatem, habet Bernhardus serm. de virtute,  
 obedientia. 5. Velociter: fidelis enim obse-  
 quens nescit moras, fugit crastinum, ignorat  
 tarditatem, praecepit precipientem, ut imperan-  
 tis colligat voluntatem, parat oculos visui, au-  
 res auditui, linguam voci, manus operi, pedes  
 itineri, habet idem Bernhardus loco dicto. 6.  
 Viriliter non est fortitudinis ire ad inobedi-  
 entiam, sed ab obedientia non abduci. 7. Hu-  
 militer, ne fortitudo in superbiam transeat cor-  
 rigenda est sale humilitatis quia nihil proderit  
 fortiter obedire, si contigerit infelicitate superbi-  
 re, habet idem. Deniq; perseveranter quia in-  
 cipere multorum est, perseverare paucorum.

15. In Specie descriptio est fugae ab ad-  
 juncto comitatu: puerum & matrem eius,  
 ut iussus erat. Atque sic in mandato nihil  
 mutavit, neq; etiam ordinem: ut discamus  
 solam



*solam obedientiam tenere palmam, quod habet*  
 Augustinus conc. 2. in Ps. 70,

16. Tum est circumstantia partim temporis  
 noctu. *Vt ita celeritas fugæ ostendatur: & bene*  
*inquit Beda super hoc Evang. & Hieron. in*  
*2. cap. Matt. Cum Judæam deserit fugere, no-*  
*ctu dicitur, quia nimirum ob peccatorum tene-*  
*bras olim peccatores reliquit. Neq; tamen erat*  
*differendum, quod erat periculosum.*

17. Partim loci & fugit in Ægyptum. *Locus*  
*autem ubi Ioseph in Ægypto habitavit non ex-*  
*primitur. Vulgo Heliopolis, quæ distat 76. mil-*  
*liaribus Hierosolymis, putatur: & intra Heli-*  
*polin & Chairum etiamnum ostenditur fons Ie-*  
*su, parvus quidem, sed illustris è quo puerum*  
*Iesum Mariam & Iosephum saepe bibisse fe-*  
*runt. Quamobrem & venerationi Saracenis*  
*& Christianis habetur. Hinc addiscitur ab*  
*ipsis vita principis ad tentationes & insidias*  
*nos debere preparare, uti habet Chrysost. c. 8.*  
*in Matth.*

18. Tum est à fine fugæ, prophetiæ con-  
 firmatio. v. 15. *In quo habetur circumstantia*  
*temporis quamdiu in Ægypto moratus fue-*  
*rit mortem Herodis. Quamdiu fuerit*  
*ex antecedentibus liquet, simulq; docetur, non*  
*omnem conversationem fidelium inter infideles*  
*licet molestissimum sit, esse improbatam: ita*

Loth

Loth inter Sodomitas 2. Petr. 2. 7. David inter  
 Mesech & Chedar Ps. 137. 5. Israel ad flumi-  
 na Babylonis Ps. 137. 1. Neq; enim valde lauda-  
 bile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse  
 cum malis, sicut gravioris culpa est inter bonos  
 bonum non esse, ita immensi est praeconi bonum in-  
 ter malos extitisse, habet Gregor. l. 1. Exposit.  
 moralium modo sit simplicitas humilis, & gra-  
 vitas verecunda, ut monet Bernhardus Serm.  
 3. in Epiph. Domini secundum Psalm. 10, 27.  
 ne tangendo picem inquinemur Sir. 13. 1.

19. Et exponitur, quoad causam in gene-  
 re: ut adimpleretur quod dictum est a Do-  
 mino. Nempe apud Oseam 11, 1. non uti Hier:  
 voluit Num. 24. 8. Et quamvis Prophe-  
 ta de populo Israel, tamen Matthaeus recte in Christo  
 impletum esse astruit: quia 1. impletum in popu-  
 lo sensu literali, in Christo allegorico, fuit enim  
 Israel typus Christi, 2. quia in populo impletum  
 ut in membris, in Iesu ut in capite, atq; sic ana-  
 logicè. Vel deniq; proprie literaliter & simplici-  
 ter. Quis enim magis ac proprius Filius Dei  
 esse dicitur, populusne qui adoravit idolum  
 Beelphegor & sculptilia? an qui revera est Fili-  
 us Dei? habet Theophyl. in Matth. hoc loco.

20. In specie efficiens causa: per Prophe-  
 tam dicentem. Vbi per Synecdochen generis  
 Oseas

Oseas intelligitur c. II, 1. ut discamus nihil factum in Christo, quod non predictum sit aliquo oraculo.

21. Et formalis: ex Ægypto vocavi Filium meum. Dicunt hic Iudaei, quod propter populum dictum sit, qui ex Ægypto per Moysen ductus sit, cum apud Oseam non filium, sed filios dicatur: verum addit Theophyl. qui novum, quod per figuram dictum de populo impletum in Christo? Et hic mos est prophetarum ut multa saepe in aliis impleantur, habet Chrysoft. in Homil. 8. in Matth.

---

NOTÆ.

I.

**A**ngelus in somniis dixit: fuge in Ægyptum. ) Considera Christum a primo ortu suo cepisse pati ærumnas, ut discas si discipulus esse velis parare te ad easdem.

II.

**S**urgens accepit puerum. ) Considera promptissimam obedientiam, ut discas mandata prestare, non recusare.

III.

**E**T erat ibi usq; ad obitum. ) Considera ipsum in Ægypto interim fidem mansisse usq; dum evocatus; ut discas ubicunq; fueris tam diu manere, donec fueris aliorum evocatus.

CA

**N**um quis bona cum conscientia inter hostes religionis vivere & habitare possit?

**N**on videtur: quia Iohannes 210 scribit, nolite a ve dicere, qui enim dicit a ve communicat operibus eius malignis, Si ergo non hoc quod minus, multo minus id quod magis est, nempe habitare. 2 Nulla est participatio iustitiae cum iniustitia 2 Cor. 6. 14. fugiēda enim idololatria 1 Cor 10. 14. Apoc. 18. 4. Et qui picem attingit, inquinabitur Sir. 13. 1. Unde David conqueritur Ps. 120. 5. heu mihi quod incolatus meus prolongatus, & habitavi cum habitantibus Cedar. Sic Iura conversationem cum malis improbant Menoch. lib. 1. de praesump. c. 89. n. 125 & dist. 34. in pr. Quippe videndum, non quid liceat, sed quid honestum l. semper 197 ff. de R. 1. e. At pares cum paribus facile congregantur, l. c. 21. §. 5. ff. de Tut. siquidem ex conversatione bonus efficitur malus l. ad l. 25. §. 415. de Aedili edicto c. recolentes de statu Monach. c. saepe 28, q. 1. Ganoli de praesump. Farin. de indic. l. 1. f. 5. q. 52. n. 85. conf. 120. n. 12. Mascari concl. 451. n. 7.

**E**sse moletrinas ibi, sunt ubi flumina,  
Nilus

Ægypti multis ipse probare potest.  
Jordanis ad flumen simul & quis quæso ne-  
gabit?

Aut si? pistorum consulat omne genus.  
At Christ⁹ baptisat⁹ Jordanis ad amnem,  
Christus in Ægyptiacas exul abact⁹ a-  
gros.

Illud ubi factum: Galilæis venit ab oris

Johannes ut eum tingeret amnis aqua.  
Primum Johannes id noluit: ipse ab ipso  
Dum baptisari maluit, hujus egens.

At amen hoc jussit Christus, concederet, ut  
Justitia fieri possit utrinq; satis. (sic

Hoc ubi concessit, baptisate tinctus Jesus,  
Calorumq; statim fax ad aperta fuit.

Spiritus & super hunc venit velut ipsa co-  
lumba;

Clamavit Genitor: Filius iste meus:

Hoc ad Jordanem tunc factum: Nilus at  
ipsum

Excepit patriam dum petiere Magi.

Angelus in somnis apparet, commonet oris

Joseph quo cedat, Niliacasq; petat:

Quo sumat puerū, matrē quo sumat ob irā

Herodis simul ex insidiisq; ferat.

Sum

sumsit utrumq; cito peregrè secessit ad oras  
Ægypti, vulpis mansit adusq; necem.

Ut foret hoc, vates quod prædixere: vocatq;  
Est ex Ægypto filius iste meus.

Istaq; nunc multis repetit **MULBECCI**  
**US** ist' hic:

Ex queis cum molitor divitiasq; parat.  
Pinsere sic pergat noster **MVLBECCIUS!**

annes

Nili divitias deliciasq; dabunt.

ita optat

**GVEINZIVS.**

---

**U**t, sicut moletrina semper undâ  
versatur subito strepente lapsu,  
immensis hominû piâ phalangem  
configat vicibus procella sævæ  
fortunæ, increpitetq; fata dura,  
non lapsare tamen decet, quietæ  
nam pandit vigilax viam salutis  
ac Herodisequas fugat, misellis  
tendens præproperam manû, Jehova,  
**MULBECCI** ut dialexis ista multis  
clarat. Propterea virûm Sophorum,  
si pergit studium, chorus decorem  
laudis, Jova supremus æ viternam  
celso spondet ei polo corollam.

**SAMUEL STURMIUS, L. L.**

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017

EVANG.


CHRIST.

HALL.

Q2 C







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

**IVITIARUM  
GELICARVM**

*Inquisitio Octava*

**PRÆSIDE**

**IANO GUEINZIO**

*Gymnasii Salani*

*Rectore*

*Respondente*

**MICHAELE MÜLBECGIO**

*pershusa Franco*

*post Circumcisionem*

*Domini.*

*D. R. cl. lxxviii.*

**ELIS SAXONUM**

*adum Melchioris Oel*

*(schlegelij.)*